

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Gottfried Weiss

**Discursus Academicus, quo ostenditur, Fructuosam Docendi Rationem,  
Disputandi Exercitio Carere Haud Commode Posse, Iuncta invitatione  
humanissima, ad audiendos benivole, favoreque sic suo excitandos,  
Philosophiae Cultores Lectissimos ex Theologia Naturali**

Rostochii: Richelius, 1692

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732457157>

Druck    Freier  Zugang



Ru. phil 1692





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/pnn732457157/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/pnn732457157/phys_0002)

**DFG**

Ph 692

# DISCURSUS ACADEMICUS,

qvō ostenditur,

FRUCTUOSAM DOCEN-  
DI RATIONEM, DISPUTAN-  
DI EXERCITIO CARERE  
HAUD COMMODE  
POSSE,

Junctā invitatione humanissimā,

ad audiendos benivolē,

favoreqve sic suo excitandos,

PHILOSOPHIÆ CULTORES LECTISSIMOS

ex  
**THEOLOGIĀ NATURALI,**  
publicē

in ACROATERIO MAJORI alternatim

disputaturos,

propositus

abs Disputationum Præside,

**M. GOTHOFREDO Weiß / P. P.**  
& ad D. Nicol. Ecclesiaste.


---

ROSTOCHII,

Typis JACOBI RICHELII, Ampl. Sen. Typogr.  
ANNO M DC XCII.



THE  
LITERARY  
MAGAZINE  
OF  
ABRITAIN  
AND  
THE  
CONTINENTAL  
NATION.  
EDITED  
BY  
JOHN  
THOMAS,  
LONDON,  
1800.



Ommuni hominum calculo sapientissimi Philosophorum Senecæ probatur effatum illud: *Dociles natura nos edidit, & rationem dedit imperfectam, quæ perfici posse.* Testatur de eo naturale sciendi desiderium, quô ad rerum cognitionem naturâ duce stimulamur, uti nec immerito de cognitionis nostræ tenuitate conquerimur. Instituta hujus gratiâ potissimum sunt scholæ publicæ, præprimis quas vocamus Academiæ, suis privilegiis axiomatibusque illustres, quæ ad excolenda liberalia studia, depellendamque sic menti caliginem unicè sunt comparatae. Habentque hic quæ observent *discentes* quâm plurima, quô bonis literis imbuantur, facultatumque pariter ac temporis pœnitendam irreparabilemque jacturam caveant, parentum etiam præprimis, spes amplissimas de se conceptas expleant: hi siqvidem optima & præclara quævis de filiis doctrinæ gratiâ absentibus, domi sibi pollicentur. De quo arguento pluribus egit, vivisq; qvod dicitur coloribus, Studiosorum ut hodie sunt multorū mores depinxit, Antecessor h. Acad. celeberr. *Dn. D. Job. Siebrandus*, Collega & Adfinis noster honoratissimus, in programmate, exercitio disputatorio publico ante paucos annos præmisso. Ast habent *Docentes* etiam quas respiciant officii partes, ad quas rite obeundas illius ratione ac religione ducuntur. Nimirum, uti Rerumpublicarum curatoribus semper aurem meritò vellicat illud: *Salus Reipublicæ suprema lex esto:* ita Docentis in publico munere constituti hoc opus, hic labor, hic præfixus potissimum scopus est, ut doctrinâ illustretur, ignorantiae tenebris occupatus animus. Enimvero haut pauca sunt quæ ad hanc feliciter attingendam metam faciunt. Doctrinam ante tenere ipsummet Doctorem oportere, quâm aliis docendis admoveatur, extra omnem dubitationis aleam positum esse duco. Qvod quis non habet, id communicare alteri nequit, juxta diverbum illud Philosophicum. Deprædicandaque omnino, inque cœlum laudibus evehenda, Patronorum, Antifitum, Curatorumque solicitude ea, quâ de idoneis, i. e. doctis & ad docendum haut ineptis prospiciunt Doctoribus Academiis, eoque etiam fini à Collegiis nominari per-

A 2

sonas

sonas eligendas patiuntur, de doctrinâ, doctorum virorum, decentique ad munus professorum habilitate, Professorum standum esse judicio, haut immerito judicantes. *Dicam audacter*, ait Petrus Gregor. *Theologanus de Repub.* lib. 18. c. 8. n. 2. *qvod experientia didici, in regendis tribus Academiis, juxta vices mibi commissis: nullum virus in Academias irrepere posse, vel aliud, quo facilius de- eus ac splendor ac doctrina earum intercidat, quam dum arbitrio Principum aue Senatus, aut aliorum magnatum intruduntur Professores, sine libero judicio eo- rum, qui in illis profitentur.* Utiqve locum hic non habet Horatianum istud: *Fungar vice cotis, acutum reddere ferrum quæ valet exsors ipsa secandi: qv in illud alterum potius qvodammodo: Si vis me flere, dolendum est primùm ipse tibi.* Talem nempe animum dicentis esse decet, qvales ipse auditorum redde- re animos voluerit. *Qvod de affectibus ciendis dictum, haut incongruè ad habitudinem Docentis trahi per similitudinem qvandam posse videtur: hic ete- nim excultum solidâ eruditione animum habeat priùs opus est, qvam eruditat alios.* Neqve verò etiam doctum esse sufficit, sed juxta ad docendum rite sit comparatus. Facit huc apprime, politi oris facundia. Vivæ enim vocis mi- nisterio, doctrinâ & præceptis felicissimè imbuuntur audientes, qvæ pleniùs pa- ſcit & altiùs descendere in animum, firmiùsque hærente tradita facit, utpote qvam vultus & gestus Docentis animant, unde ad attentionem eò majorem excitantur animi. Hæc utramqve facere paginam haut immerito dicitur, un- de Græci: Ζώσε Φωνής μεγίστη ἐστιν ἐρεγεια. Vid. Erasm. Chil. cent. 2. ad. 18. Longèqve adeo anteferenda talismodi in studiis proficiendi ratio est, αὐθεντάντων occupationibus & desudationibus umbraticis, qvi abs mutis institui Doctoribus magis amant, utut lectionem scriptorum eruditorum, non nullum etiam juveni ad eruditionem adferre momentum haut diffiteamur. Ut tamen viva vox facundiâ haut destituatur, qvam maximè opus est. Ignotum doctis haut est, qvid alias in Oratore bono, ratione vocis exigant ii, qvi id negoti- tii sibi sumperunt, utpote cuius moderamen plurimùm facere judicant ad acti- onem Rhetori convenientem, cui secundas non tantùm & tertias, sed primas etiam dandas esse censuit Demosthenes, teste Photio initio Biblioth. & Augusti- no, Epist. 56. ad Dioscorum. Nimirum, affectatam non solùm vocem repudi- ant, cum qvod affectatum est, in hac totâ arte sordeat, nec benevolos, sed a- versos & nauseabundos communiter auditores reddat, juxta Aristotelis 3. Rhet. 2. verum etiam naturalem ejus indolem & vitia qvælibet excutiunt, unde vo- cem candidam & claram, nigræ & obscuræ præferunt, mollem muliebremqve, suerotilam dictam, qvippe qvæ ad crotali modum tinniat, pro inconvenienti habent. In dicendo alios nimis celeres, nimis tardos alios, alios titubantes & hæſitan-

hæsitantes, alios θεαυλάς notant, qui nempe certam literam exprimere ne-  
queunt, qvalem fuisse Demosthenem, literam caninam pronunciare haut va-  
lentem volunt, cui tamen vitio remedium, trophis sub lingvâ positis fecisse di-  
citur, de quo vid. *Plutarchus* in vitâ Demosthenis, & Autor lib. de 10. Oratorib.  
apud eundem, & de vocis vitiis variis *Julius Pollux* l. 2. Onomastici c. 45. Non  
hæc in Docente cujus scopus institutio, rerumqve vera cognitio, non perswasio  
vel opinio est, scrupulose adeo & anxiè reqvirenda, utut multùm commendent  
eundem si adfuerint & adjuvent. Prout horum qvædam, & vel plurima, etiam  
pro necessariis habenda, qvorum nempe defectus, doctrinæ traditæ perceptio-  
nem impedit, velut claritas inter reliqua, dicendiqve decens tarditas. Omnia  
tamen hæc & singula conjuncta, si facundiæ fuerint expertia, parvi æstimanda  
verè sunt. Qvod sonus sine articulatâ voce, id vox clara, articulata, omneqz  
aliud punctum ferens, sine facundiâ. Digna proinde Imperatore vox est:  
*Professor docendi peritiam, facundiam dicendi, copiamqve differendi se habere*  
*patefaciat*, in l. unic. C. de Professorib. vid. *Job. Gesenius Rintelenium Theo-*  
*logus*, de vitâ Academ. P. 2. Disput. I. p. 10. seq. Facundiam autem, non qvam-  
vis verbositatem appello. Sallè dictum à *Theocrito* est, de prolixo sermone  
*Anaximenis*: *Verborum flumen, mentis ne quidem guttula.* Et concinnè o-  
mnino à *Cicerone*, qui clamatores odiosos & molestos vocat, qvibus loquenter  
multùm, eloquentiæ parùm, sapientiæ nibil. Non tam prodit docendi imperi-  
tiam Professor, qui pauciora pro re dicit, qvam qui nimius est, inquit *Lansius*  
Comment, de Academ. p. II. glossam notabilem in l. ex ea. ff. de posthum. al-  
legans seqventem: *Et officio Doctoratus veniunt privandi illi qui sunt nimis*  
*verbosi.* Veram ergo, ut tribus dicam qvod res est, facundiam dicendi tum  
demum demonstrabit Docens, si res cathedrâ suâ dignas, inter vagam prolix-  
itatem, obscuramqve brevitatem mediis, sermonis & styli puritate commendet.  
De brevitate nimium arctatâ, ad qvam ceu alterum extremum, verbositatem e-  
vitaturi interdum declinant, notum est illud Horatii: *Brevis esse labore, ob-*  
*scurus sio.* Qvanti etiam sit, Professorem committere barbarismum, de eo  
prolixè agit l. c. *Lansius*, qui de styli elegantiâ elegantissimum simile hoc ha-  
bet: *Ulti vappa boni viri laudes non meretur, licet offeratur poculo aureo aut*  
*porcellanâ; sed vinum nobile Rhenense aut Neckarium, si purissimo Chryſalli-*  
*no exhibeatur, hoc ipso est gratius, multùm tamen gratiae perditurum si ex la-*  
*genâ impurâ, araneis & muscarum asperginibus inquinatâ, bauriendum sit:*  
*ita quoque Professor tunc demum dicendi facundiam demonstrabit, si res cathe-*  
*dra suâ dignas tractet, easque sermonis & styli puritate commendet; peccaturus,*  
*si vel quisqvlitas & rerum ineptias Veneribus verborum serio infucare, vel res*

altas magnasq; barbarismis deturpare velit. Horisonis etq; barbarisq; Scholasticorum, quantū poterit abstinebit vocibus, utpote à lingvæ Latialis finibus merito proscribendis, Philosophiæ cumprimis Doctor. Si maximè melioribus & magis perspicuis eas permutare in proclivi sit; neq; concinnæ elocutionis rotunditati, usuiq; recepto interdum aliqvid tribuere conduceat. Scholasticos Doctores illos indigit, à subtiliori docendi ac disputandi genere ex sententiâ suâ sic dictos, qvi sec. XII. & seqq. Petro Lombardo familiam ducente, in Gallia ac Italia & postremo in Germania sub titulo Philosophiæ Aristotelicæ venditare non dubitarunt ista præcepta, qvæ non solum ex naturalibus principiis, sed etiam ex S. Scripturæ oraculis & sanctorū Patrum decretis derivarunt, ex qvibus præceptis vicissim S. Theologiæ dogmata confirmare, ausu nec laudabili nec eventu fatis felici sunt conati. De qvô instituto Trithemius, cāq; atate qvâ Petrus Abailardus vixit, scribere non dubitavit: *Ab hoc tempore Philosophia secularis, Theologiam suâ curiositate inutili fædere ceperit.* Quinam antiquitùs, Scholasticorum nomine venerint, viri nempe omni elegantiori literaturâ prædicti, & salutaribus literis græcè juxta ac latinè divites ac docti, de eo vid. Bartb. Advers. lib. II. c. I. & lib. III. c. 14. Turneb. lib. 2. Advers. c. 7. Illi ergo Viri, (utut non omnes, nec in omnibus planè despiciamus, cum qvâ restrictione dicta hæcce intellecta volumus) qvorum numerum ad 12000. excrevisse Franciscus Patricius memorat, loquendi formulis ac terminis inusitatibus, novis, obscuris, barbaris, horridis & sordidis, quasi sepiè sparso atramento rerum cognitionem & Philosophiam obtenebrarunt, bonam partem ideo *Nominales* dicti, qvod *avari rerum, prodigi nominum atque notionum, verborum viderentur assertores*, uti loquitur Aventinus lib. 6. annal. Bojor. p. 383. Nimirum, græcas literas penitus ignorantes, & latinis tantum versionibus Aristotelis, ut plurimum male fidis utentes, magis de viâ, uti loqvuntur, Thomæ ac Scoti, quam vero Aristotelis sensu aut rebus ipsis solliciti, partim logicaliter, partim metaphysicâliter, in disputationibus suis quodlibetariis disputant & dogmatizant, de conceptibilitatibus, formalitatibus, realitatibus, tendentiis, entitatibus, formalibus materiae primæ, & similibus aliis, realiter, formaliter & conceptibiliter entibus, it. inter innumera alia, an locus sit dabilis? & an sit relatio actualis vel aptitudinalis, an sit entitas respectiva, vel absolute quidditas, in quantitatâ predicamento vel ubi reponibilis? &c. Hi scilicet sunt, ex Adoniis hortis flosculi, qvi vel Catoni risum moverent. Notæ sunt qvæ inter Hermolaum Barbarum, solo nomine talem, & Job. Picum Mirandulanum, hâc de re intercesserint contentiones, scriptis invicem epistolis, illo barbarum Philosophorum lingvam oppugnante, hâc autem defendantे. Adscribam utriusque pauca. Sic verò Picus in suâ, haut longè ab initio: *Expertus sum*

sum id ego, hac proximâ tuâ ad me epistolâ, in qua barbaros hos Philosophos  
insectaris, quos dicas haberi vulgo sordidos, rudes, incultos, quos nec vixisse vi-  
ventes, nedum extinti vivant, & si nunc vivant, vivere in pœnam & contume-  
liam. - - - Non defuit illis sapientia, sed defuit eloquentia, quam cum  
sapientiâ conjunxisse tantum fortasse abest. A culpâ, ut conjunxisse sit nefas.  
Quis enim cincinnos, quis fucum in probâ virgine non detestetur. Barbaros in  
lingvâ, sed in pectore habuere Mercurium. Ita ille, inter alia plurima, quem  
laccassiverat Hermolaus hujuscemodi: Non solum genus verborum, ait hic de  
Scholasticis, novum est & ignotum populo, sed ita confusa omnia, ut velut in la-  
byrintho neque initia neque exitus rerum deprehendi possint. Et subinde fin-  
gunt nova ac prodigiosa somnia & verborum portenta, quibus, cum res nullibi  
subsint, intelligi nihil potest. - - Non solum habent errata grammatica,  
sed neque sententias absolvunt, neque judicium neque ordinem in explicando  
adhibent. Postea, amissâ loquendi diligentiam, rerum etiam judicium amiserunt.  
Finixerunt enim, unâ cum monstrosis vocabulis, inexplicabilia somnia, quibus u-  
niversam Philosophiam ac Theologiam obruerunt. Ita in istorum doctrinâ ve-  
rè sunt, ut Græci dicunt, πάντα μία κόνις. Quare non solum populus, sed  
ne ipsi quidem, quod est vel maximè ridiculum, suas disputationes intelligunt,  
ac solæcizant. Sic igitur facundia conjuncta quoque perþicuitas est, quæ o-  
mnino abs Docente etiam reqviritur, cuius gratiâ quoque subtilitates nimias, o-  
tiosas & vanas in studiose vitat. Nimiris subtilibus decidunt femoralia, inquit  
Joh. Nevian. Sylv. Nuptial. l. §. n. 67. Absit autem nervosæ, fructuosæ, &  
sobriæ subtilitatî, doctos & indoctos discriminanti, dicam scribere. Faciebant  
veteres Philosophi discrimen, ut ἐξορεικῶν & ἀνεργαμβητῶν λόγων, ita et-  
iam Auditorum ipsorum. In acroamaticis, remotioribus & subtilioribus præ-  
ceptis imbuebantur ἀνεργαταὶ, quos γῆγοις ἀνεργαταὶ vocabant, quippe qui  
non erant vulgaris admissionis discipuli, quibus etiam tempus dabatur in lyceo  
matutinum. Exotericae verò dissertationes, humilioribus pariter & sagacio-  
ribus ingenii, juvenibusque sine delectu proponi solebant, & quidem horis po-  
meridianis & vespertino tempore. Vid. Agell. lib. 20. c. 5. Salmasius animadvers.  
in Epict. & Simplic. p. 236. An ex invidiâ quâdam delectus hic Auditorum sit  
profectus, nonnulli dubitant. Id quidem certum est, omnium ab antiquo  
Philosophorum morem fuisse, occultare Philosophiam, neq; promiscue omnibus  
quasi prostituere, quod appareat ex ænigmatica Philosophiâ Zoroastri, Tris-  
megisti, Orphei, Chrysippi, in primis vero Pythagoræ, qui Hipparchum, quod  
arcana Philosophiæ revelasset, è scholâ ejecit, in ejusque locum columnam  
immobilem erexit. Consulatur Matchus de vita Pythagoræ cum notis  
doctissimi

doctissimi Rittershusii. Constat etiam ex loco *Agellii* allegato, Alexandrum, eum inaudivisset, Aristotelem libros suos aeroaticos in vulgus edidisse, id factum ægrè tulisse, cui tamen responderit Aristoteles, libros hosce esse *çndædo-mævæs* & *çndædopævæs*. Putarem tamen ab hac invidia macula liberari vel exinde veteres posse, quod teste iterum *Agellio*, curiosè ante explorarint ingenia hominum, in disciplinam eorum se trahentium. Quem morem ab Aristotele etiam adhibitum, hunc ab antiquissimis Ægyptiis accepisse indubium est. Qvam enim religiosi in scrutandis auditorum ingenii hi fuerint, de eo vel Evdoux, Plato, Hippocrates & qvicunque alii discendi gratia eò excurrent, suo exemplo fidem facere possunt. Nemo tamen clariss Pythagoræ, quem sacerdotes quasi pro pilâ habentes, quod dicitur, alii aliò ablegarunt; Heliopolitæ quidem ad Memphitas, tanquam sc. seniores, Memphis verò ad Diaspolitas eum mittentes, sub eodem prætextu, hi tandem metu iræ regiæ admittentes quidem, sed durissimè habentes, ut vel ita ipsum male tractando abiherent, ut refert Rittershus. ad Malchum. Qvam consuetudinem Pythagoras deinde pariter usurpavit, & sequentis ævi Philosophis imitandam tradidit. Prout autem invidia non est, si quis naturæ coecis non præferat lumen, aut surdis harmonias: ita invidia non est, iis qui doceris non possunt, non offerre doctrinam. Monet *Lysis* ille Pythagoricus, ne aqua pura infundatur in puteum cæno plenum. Hinc igitur qui minus aptierant, à Philosophiæ studiis arcebantur, neque ad æneas eis admittebantur. Annon hodie laudabilem hunc modum reduci è re fuerit? de eo desideria doctorum virorum satis testantur. Laudat qvam maximè Cicero lib. 1. de Orat. c. 28. Alabandensem Apollonium eloquentiæ magistrum, hoc nomine, quod, quos minus idoneos arti sue capessende deprehenderet, quamprimum dimittere sit solitus, & ad quamcunque artem alias apti essent, impellere & hortari. Utiqve fit, ut *πεπηρμένα* atqve obtusa ingenia passim obrepant, quandoquidem ligna distorta à rectis haut separantur: quod non potest non maximam fundo literario inducere calamitatem. Elegantissima in eam rem sunt Scherbii Altortfini Philosophi verba, digrassi. in c. 5. lib. 1. Top. Quod si, ait, posset hoc hodie obtineri, ingenia liberalia in scientias immittenda essent, ista aggregatio, & quæ terram solum sapiunt, vel arcenda essent ab artibus omnino, & ad sicutam remittenda, vel certè in artibus solum dicendi exercenda, ut pueros erudiant, nec ad adyta superioris sapientiae unquam admittenda. Scilicet in illos competit hoc: procul hinc, procul esse profani. Tali autem discrimine, nos hodie quidem non utimur, contenti mediocri Auditorum qualiumcunque numero; in eo tamen curam ac prudentiam veterum imitari nobis videmur, dum ea quæ omnium, saltim non planè stupido-

stupidorum, & ingenio mediocri pollentium indoli convenire putamus, & quæ ad usum aliquem (nec enim umbratilis nos Philosophia, inanibus subtilitatibus luxurians delectat) tendere videntur, proponimus. Unde laudandos maximopere putamus Philosophia usualis, in specie Metaphysicæ, quæ olim nimium quantum subtilitatum tricus implicata fuit, Conditores, & Doctores, quos non absque insigni Auditorum commodo, imitari nosmet iteratis vicibus experimur. Quantum verò etiam referat *μεθοδικῶς* in doctrinā tradendā progredi, neminem facile ambigere puto: ordinem enim quem methodum vocamus, animam doctrinæ esse, dudum eruditī perspexerunt. Cavetur hōc ipso, ne summa imis, quadrata misceantur rotundis. Imitamur eā ratione naturam, quæ ordinis omnium causa est, adeo quidem ut in his quæ naturā, aut secundum naturam constant, nil sit inordinatum, ut loquitur Aristoteles, lib. 8. Phys. c. 2. t. 15. Benè distingvere, distincta distinctè proponere, omniaque suis adsignando locis, confusionem, optatis studiorum incrementis oppidò infestam evitare, id quidem fructuosa Docentis industria palmarium opus est. Sed desino excutere ea quæ Docentis personam, requisita, modumque ut felici progredi pede valeat, concernunt, quorum plura fortè ab adductis proferri in medium, & quæ adducta sunt fusiū explicari potuissent. Restat adhuc unicum, intentioni toties laudatae admodum conveniens, quin eidem exsequendæ necessarium, *disputationum* nempe exercitium, quo in Academiis benè constitutis nil conservetum magis est. Scilicet, si Doctori id curæ est præcipue, ne ludat operam, sed cum fructu potius doceat, tum sanè ut dicta Auditorum animis tenacius hæreant, quam poterit dabit operam. Et hoc unicum ad commendationem doctæ contentionis illius sufficere posse videbatur. Sive enim Respondentis quispiam, sive Opponentis fungatur munere, ante omnia rem de quæ contentio est, rectè tenere, hinc multa ingenii agitatione volvere, revolvere studet, ut, quam firmis subnixa sit fundamentis, & quam ratione vel tueri eam queat, vel qualitercumque tentare, intelligat. Quò fit, ut iteratis ita cogitationibus in eam defixis, repetitis quasi multoties ictibus altius infigatur animo. Cum maximè ideo formatos tum teneat conceptus, ut in confictu, linguae ministerio promantur, quam novâ repetitione, intentis omnibus animi nervis facta, novum memoriae accedit firmamentum. Hōc ipso sane illud, quod dicitur, *in succum & sanguinem vertere*, contingit. Dumque ita rectius hærere præcepta facimus, ingenium non solum excitatur, sed simul magis magisque acuitur, unde intelligendi, inque omnes partes se vertendi celeritas. Lingua non solum utimur, sed promptior eā quoque redditur & expeditior, ita ut conceptus animi ab eā facile & velut è declivi fluant, neque illa officium, promptissimè oblata.

B

profes-

proferendo, & veluti demandata exsequendo denegat. Qvibus omnibus tandem veritatem, amabilissimam illam feram, uti Plato appellat, insectamur eò feliciùs, faciliùs adsequimur, rectiusqve contra vim & pertinaciam erroris tuemur, qvorum omnia nostrae mentis tentamina, & linguae experimenta tendunt. Rectè Arnoldus Sengverdus in dedicat. Collegii Physici disputatori: Inter reliqua, qvibus depulsâ caligine, mens cognitione imbuenda perficitur, non minimi momenti est Disputatio, si remotis præjudicis & affectuum imperio instituatur. Hec naturalem nostram intelligendi facultatem excitat, exstenuat, acuit, & abstruse veritatis scintillas, ingeniorum collisione, mutuoqve attritu foras excutit & elicit. Qvibus ad trita illa Nasonis respexisse videtur:

Scilicet ut crebris silicis micat ictibus ignis,

Sic isto Veri lumina Marte patent.

Adde, quod eloquium vires certamine sumpfit,

Ingeniumqve suas pleniùs auxit opes.

Non secus ac bibulâ per se pugil acer arenâ

Si crebro certet, fortius arma caput.

Hinc magni semper habitum disputandi exercitium est. Veterum Atheniensium moribus, omnis ferme docendi discendiqve ratio disputationibus absolvebatur. Nec enim aliter à Philosophorum græcorum coryphæis, Platone & Aristotele edocti erant. Unde Cicero: *Mihi semper*, ait, *Peripateticorum, Academique consuetudo, de omnibus rebus in contrarias partes differendi, non ob eam solum causam placuit, quod aliter non possit, quid in unaqâque re verisimile esset inveniri: sed etiam, quod esset ea maxima dicendi exercitatio, qua Princeps usus est Aristoteles.* Utut modus disputandi, Socrati, Platonis, Aristotelis usurpatus, à nostro quadam tenus fuerit alienus. Neque enim illi disputationes suas semper formulis Syllogisticis ad nostrum morem innectebant, sed liberas *τρέποσις*; Dialecticas & problemata, cum utrâqve contradictionis parte in medium projiciebat Interrogans, ita ut Respondenti optio esset, alterutram contradictionarum assumere & defendere. Unde & Aristoteli & Interpretibus Dialectica dicitur ars *ἐρωτηματικὴ*, & propositio Dialectica definitur lib. 8. Top. 2. *τρέπες ήν αποκρίνεσθαι εἰς τὰς ής, ad quam responderi potest ita vel non.* Fundamento tamen Syllogistico disputationes illæ problematicæ innitebantur, licet formulæ syllogisticæ non ita clarè in oculos incurrerent, & figurarum atqve modorum non tam diligens ac in Analyticis fieri solet, haberetur ratio. Ast quid veterum mores retulisse multis juvat? Omnim Academicarum benè constitutarum ab hoc exercitio hodièqve calent cathedræ; omnium Faculta-

cultatum eò nituntur studia : ad quæ anteqvam sigillatim provocemus, ipsius experientiæ subsidio confirmandi, quæ gravi sine dubio fulcitur consilio, liceat de ordine Facultatum, comparationem cum statuâ Nebucadnezaris à B. Meisnero institutam, haut inficetam, ejusdem verbis inserere : Philosophis, inquit ipse, adsignari possunt tibi, qvoniā prima tradunt fundamenta, qvæ instar ti- biarum sustentant cetera; Medicis tribuitur venter, qvippe cuius curam pecu- liariter agunt: Pectus & brachia Jureconsulti obtinent, qvia iustissimam corde docent concipere, brachiis defendere; qvæ qvidem disciplina satis est egregia, ob bonum communis, quod promovet ac conservat, non ratiem primatum ob- tinet, sed argenti naturam imitatur, quod infra auri præstantiam subsidit. San- bla vero Theologia caput occupat, & tota aurea est, ob puritatem quā excellit, ob pretiositatem, quā pollet, ob fulgorem quem emittit, ob soliditatem quā con- stat, ob efficaciam singularem, quā in movendis confortandisque animis opera- tur. Ut ergo caput inter corporis membra, ut aurum inter metalla : sic Theo- logia inter disciplinas reliquias principatum natuæ est. Disputant ergo, primo loco nominandi, divinæ veritatis assertores Theologi. Habent hi præcipue sibi commendatum, qvin demandatum τὸ ἐλέγχει τὸς ἀνθεζοτας, ad Tit. c. 1. v. 9. eoqvè curatiū id habent, qvo periculosius hic est, tam errare, qvā errori minimo locum dare. Et hoc agendo vestigia Servatoris nostri utique sequn- tur, utpote qvem cum Pharisæis & Sadducæis plus vice simplici in arenam de- scendisse nemo nescit. Stephanum protomartyrem cum Libertinis, Alexan- drinis, aliisqve veritatis hostibus acri disputatione contendisse, illisqve ad silen- tium turpe redactis, ferales lapides objectos, objectionum loco tandem retu- lisse, pariter ex S. literis constat. Idem præstitere Apostoli. Qvos ergo o- mnes haut immerito sibi proponunt imitandos hodierni Ecclesiæ Doctores. Haut abs te Cornelius Martini, de analysi formæ c. 5. p. 75. Si Theologus sis, inquit, non tantum contra illos te accingere debes, qui nomen Salvatoris nostri etiam ip̄s prætendentes, in aliquot, sive pluribus articulis à te dissident, sed ar- ma tibi expedienda sunt contra omnes fidei hostes, qvi qvī tandem illi sint. Nulla enim insurgit tam immanis in pietatem belua, nullus tam violens in fidem hostis, qvintibi ille expectandus & excipiendus sit. Qvod cum res ipsa clamat, tum scriptura etiam disertis verbis id nobis imperat. - - - Per necessarium ergo, non arbitrarium est in rebus fidei disputare. Ut autem lusorū prius qvā decretoriis armis pugnandum, sic disquisitionibus Academicis, quasi præludiis qvibusdam, ad severiorem pugnam cum adversariis, calamo, & voce interdum ineundam Studiosi præparantur, multoqve rectius simul, rerum sa- crarum cognitione, hujus gymnasmatis beneficio imbuuntur. Disputant

*Jure consulti.* Et hīc ne actum agam, provoco ad Meditationem Academiam celeberrimi J. U. Doctoris & Antecessoris in hac Almā nostrā, B. Domini Job. Festingii, Anno 1687. alterā vice editam. Disputant *Medici*. Unde de Thoma Erasto, Medico-Philosopho, qui Academiam Basileensem docendo disputandoque illustravit, *Zwingerus* refert, quod serio hortatus fuerit Collēgium Medicum, ut menstruas disputationes medicas, ad Studiosorum exercenda ingenia magno judicio institutas, & constanter hactenus observatas, etiam præ inauguralibus aliis, fovere & ampliare pergerent. Disputant tandem quoque *Philosophi*. Res sanè Philosophia nostra proponit cognitione dignissimas, utpote quam idcirco rerum divinarum & humanarum scientiam haut immerito dixerunt antiqui. Animos illa humanos non tantum inscitiae rubigine exuit, & jucundā mirabilium rerum cognitione imbuit, verū etiam adfectibus moderari docet, ut & domi quisque bene vivat, & publicae tranquillitati consulat: denique ipsis legibus & Rerumpubl. moderatoribus viam certā ratione munitam prætit, ut regna & Respub. sive legitimè constituant, sive constitutas tueantur, & à periculis immunes præstent. Qvicquid etiam nonnulli, rei ignoratæ odio, vel animi impotentia ducti, de sapientia locutoriā garriant, solamque Mathesin (quæ aliàs reliquæ Philosophiæ non opponenda) omnē punctum ferre, inque folio regali colloquandam esse, falsa persvassione fascinati, jacitent. Bene novimus, quæ sit tribuenda dignitas disciplinis Mathematicis; circa corticem tamen rerum magis, quam res ipsas versari easdem nemo rerum gnarus iverit inficias. Ad ἐγκύλια μαθήματα, i. e. triviales disciplinas, Mathematicas revocavere Veteres. Siquidem παιδείας ἐγκύλιον nomine, non solum, Grammatica, Gymnastica, & Musica cum picturæ accessione; sed Geometria etiam & Arithmeticæ, quæ uno nomine Mathematicæ disciplinæ dicebantur, veniebant. Unde Plato lib. 7. de Republ. illas appellat τρεπαιδίαις, quasi diceret elementa eruditionis, qui etiam foribus Gymnasii sui nobile illud dictum præscriperat: Οὐδὲς ἐστι τὸ ἀγαθόνηποτε, nemo huc ingrediatur expers Geometriæ, id est, disciplinarum Mathematicarum ignarus. Quem imitatus discipulus ejus Xenocrates, de quo ita Laërtius lib. 4. in vitâ ejus: *Ad eum qui neque Musicā, neque Astronomiā instructus, ludum suum frequentare cupiebat: πρεύς, εφη, λαβάς γαρ τὸν εχεις Φιλοσοφίας, abi, inquit, an si enim & adminiculis Philosophiæ cares.* Adeoque minimè probandam censemus illorum socordiam, qui, quod pluri-mi hodie faciunt, jucundissima pariter atque utilissima studia haecce, quasi mi-nus proficia & τρεπαιδίαις παλαιός parvi faciunt & insuper habent. Neque rem acu-

acutāgunt, sed multūm à januā qvōd dicitur aberrant etiam illi, qui malē & præter mentem dicentis applicato illo Justiniani Imperatoris dicto: *Se veram non simulatam affectare Philosophiam, oppedere, ut cum Horatio loqvar, & maculam aliquam aspergere nostrā qvam profitemur hodie Philosophiæ, per famam non opponendorum oppositionem conantur, de qvo alio tempore pluribus.* Cum igitur res tractet Philosophus, scitu omnino dignas, qvin necessarias: sanè disputationis exercito, veritatis indagandæ, confirmandæ, aliisqve eò feliciùs tradendæ gratiâ vacare commodè haut poterit. Qvinimo, hic modum disputationi rite, præscriptis regulis docet reliquos. Etenim laude suā defraudandus non est Aristoteles, ante cujus ætatem dialecticè quidem & apodicticè disputabant Philosophi, formæ tamen disputationi non erant ab ipsis materiis separatae, certisqve præceptis comprehensa; qvi verò primus confusaneam istam rationem sustulit, accuratam disputationi formam à corpore rerum sejunxit, certisqve notis insignitam tradidit. Unde non tantum in aperi-  
tione scopi operis Dialectici pronunciare non dubitat, institutum sibi esse ἐνεργεία μέθοδον, sed & in calce Elench. pro operosa inventione ejus methodi gratias, pro prætermisso veniam sibi deberi scribit. Quemadmodum autem res omnis, usus etiam amplissimos præstans turpari abusu potest, ita idem usu venire circa disputationis negotium non diffitemur. Non placet, omnia qvæ hic dici poterant persequevi, neqve id instituti nostri ratio exigit. Attigit, post alios, eadem supra laudatus *B. D. Festingius*, in Meditatione de verâ disputationi ratione præmemorata. Id solùm nos addimus, qvi sub specioso libertatis philosophandi, deque omnibus disputationi velo, pestilentissimos oculi propinariique incautis errores haut ignoramus, ponendos & Philosopho suos esse limites, utut tam arctos, qvales quidem Theologia, S. Scripturæ & libb. Symbolicis adstricta agnoscit, haut pati videatur. Ubi tamen cordatorum calculum neutriqyam meretur ille (de qvo Cl. *Lentulus* in Carthesio triumphato p. 48.) qvi oblatum S. Theologiæ profitendæ munus & titulum aspernatus est, intra diligentiam suam esse ratus, S. Scripturæ & ejus interpretationi in Ecclesiâ receptæ adstringi. Rectius *Augustinus* lib. io. de Civ. Dei c. 23. *Liberis verbis loquuntur Philosophi, nec in rebus ad intelligendum difficultimis offendis nem religiosarum aurium pertimescunt.* Nobis autem ad certam regulam lo-  
quifas est, ne verborum licentia, etiam de rebus ipsis qvæ his significantur, impiam gignat opinionem. Qibus verbis libertatem in Philosophis Platonicis, Porphyrio & Plotino perfundit & damnat. Omnino impietatis habitum assumit Philosophia, cum adversus Ecclesiæ dogmata disputatione è revelatione probata, inqve dubium vocat, qvæ piè & simpliciter credere debebat. Si ancillæ

rationem & similitudinem subit, tunc aduersus Dominam non surgat, eidemque oblatret, sed humiliter subjecta sileat potius, inque muneris sui sphæram se contineat, illam vero pro arbitratu & sapientia sua, altioris longè ortu & indaginis quam ut naturali mentis caligini pateat, regere & dispensare permittat. Indignum est, Philosophiam vel specie alicujus præjudicii, Theologiae molestam ac minacem esse, verborumque seu terminorum corticem, quomodo cutique officere nucleo debere. Ex quoque merito sunt flexiloquæ & ambiguæ locutiones, licet in sensum commodum trahi possint, in Philosophiâ natâ & in Theologiam illatâ, vel eidem suspectæ, utpote quam vel ambiguæ vocis sono ne quidem minus laedenda est; multo magis adhuc illæ, quibus à coactâ explicacione petendum patrocinium, molliorque sensus impetrandus est. Proposuerat suo tempore Job. *Picus Mirandula*, summi vir ingenii, theses nongentas in omni scibili, easque Romæ publicè eâ conditione affixerat, ut ex toto orbe docti viri confluenter has ipsas ventilaturi, ipsius Mirandulæ sumptibus. Inter reliquias autem de Magia naturali & Cabalâ, hanc quoque ut vocat conclusio nem: *Nulla scientia (naturalis sc. & acquisita) magis nos certificat de divinitate Christi, quam Magia & Cabala.* Hæc ut heretica & impia notabatur ab aulae Pontificiæ proceribus, ipsiusque disputationis inhibitionem accersebat. Eò enim accipiebant sensu enunciationem hanc, prout in eam auditam vel ledam naturalis cogitatio sponte ferebatur, nempe hoc voluisse Picum: *Magiam & Cabalam nos certos reddere de divinitate Christi, neque aliam esse scientiam acquisitam, qua id rectius magis que faceret, præter Magiam & Cabalam.* Haut immerito ergo rejiciebatur interpretatio ejus (juxta quam sensisse etiam ipse non poterat, has nempe artes Auditoribus commendaturus, quod ab eorum imperfectione & imbecillitate convenienter facere non valebat) quam in universum negativè explicabat thesin hanc, nempe, *non magis aliam aliquam scientiam acquisitam nos certos reddere de divinitate Christi, quam Magiam & Cabalam*, ut intelligas, neque has neque illas hoc præstare posse. Quam maximè vero repudianda Philosophia est, cum judicium sibi decisionis vel discretionis hic arrogare haut erubescit. Notæ sunt hâc de re disputationes, Theosophos nostrates inter & Calvinianos æque ac Socinianos institutæ. Aptèque Stegmannus post alios, disp. 2. contra Photinianos q. 3. occupationes rationis certis limitibus coercet, usumque ejus in Theologia admittendum esse ostendit 1. *Quoad principia cognitionis generalia*, quæ intellectui connaissanceuntur. 2. *Quoad discursum Logicum*, quo ex ignotioribus notiora veniuntur. 3. *Quoad probationes secundarias*, quas in confusionem hostium adhibemus. Conf. Rudrauff. *Theologia Philos.* Disp. 5. prælimin. p. 97. & *Museus contra*

contra Vedel. in primis lib. 3. c. 4. per tot. ubi Meissnerum vindicat. Præterea Scepticis omnia alia tentare argutiis, deq; omnibus sine discrimine disputare non audeat Philosophus: Sic enim concessa illi libertas sua, hautq; invidenda, in tyrannidem facile degenerat, ut legibus sublatis, ad nutum dicentis pateant parentq; omnia. Disputatio dubitatio est, qvod si verò de omnibus dubitare haut est integrum, tum neque omnia sub disputationis incudem erunt revocanda. Non uno loco monet *Aristoteles*, Διαμορφωται και λωγια, bene dubitare illum debere, qvi eruditionis solidæ copiam sibi parare velit, qvod inter alia tunc etiam attenditur, cum non disputamus & dubitamus de omnibus, conf. lib. 1. Topic. c. 2. & dissertatio nostra de Philosophiâ Optimâ §. 7. ubi collationem dubitationis Carthesianæ effrenis planè & improbabæ instituimus, cum dubitatione Aristotelicâ æqvâ & honestâ. Taceo reliqua minoris fortè periculi incommoda, qvæ cavere disputatorem Philosophum decet, & ad scopum hic qvidem præfixum propriū accedo. Nempe, satis ex dictis patescere puto, quantum adferre adjumenti queat, ad fructuosam docendi rationem, Disputandi exercitium. Cum verò dixisse aliquid, ad oculum ostendisse & laudasse non sufficiat, nisi ipso opere id præstes, qvod factu opus esse doces, ipseq; eâ ingrediaris viâ quam commonstras, ambulandamq; esse persuades aliis. Proinde consilium ego quoque cepi, tam exemplis aliorum h. Acad. Professorum celeberr. laudatissimis, quam officii mei ratione, reique nunquam satis deprædicandâ utilitate, Auditorum etiam meorum, ab ore publicè docentis pendentium assiduitate & freqventiâ commotus & incitatus, publicè ex Theologiâ naturali prælecta & imposterum prælegenda, ut eo rectius tenaciusq; hærent, disputationibus publicis iterare. Ad fuerunt mihi hanc intentionem meam aperienti sponte, & ad sumptus necessarios impendendos promptissimi, Viri - Juvenes optimi, lectissimi, qvi anteq; quam altiora concenderent Theologorum pulpita, probatò hactenus viris cordatis Studiorum ordine, evitatoq; faltu, quem ipsa natura cavet, Philosophica etiam studia sibi curæ cordiq; vefuisse, publico qyodam specimine probare consultum duxerunt. Utut nonnulli ex horum numero, ante jam, diligentia suæ, tam in Philosophicis qvâ Theologicis egregia experimenta dederint. Merentur, qvæ lucem videant & hie exhibeantur nomina, juxta ætatem Academicam sequenti serie collocatorum, laude & commendatione dignissima. Nimurum Respondentes, significante semper disputationis argumentum Schedulâ typis imprimentâ & distribuendâ, alternatim futuri sequentes sunt:

TIMO-

TIMOTHEUS Lüttemann / Malchin. Megapolit.  
JOHANNES CHRISTOPHORUS Jauch / Güstrov.  
Megapolit.  
JACOBUS Grubusch / Bodin. Megapolit.  
JOHANNES MEHNERUS, Gransöâ Marchicus.  
JOACHIMUS Holz / Neo-Brandenb. Megapol.  
CHRISTIANUS Berends / Stephani-Hagâ Megapol.  
JOHANNES JOACHIMUS POLTZIUS, Rostoch.  
JOACHIMUS Wilcken / Filtzensis Megapolit.  
CHRISTIANUS Meyer / Hagenfis Westphalus.  
JOHANNES CRAMERUS, Bilsfeldâ Westphalus.  
CAROLUS ARNDIUS, Güstrov. Megapolit.  
Gottfried Kohlreiff / Strelizensis Megapolit.  
DANIEL Schultze / Perleberg. Marchicus.  
JOHANNES NAPFFIUS, Strasensis Megopolitanus.

Ad hos ergo, suo qvemque ordine ac tempore, benevolè audiendos , addendumqve adeo ad ulteriores progressus strenuos calcar, literatos O. O. omnes,  
literisque benè cupientes, qvâ decet humanitate, officiô & peram  
mant invito. P. P. A. M DC XCII.

d. Augusti.





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn732457157/phys\\_0019](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732457157/phys_0019)


**DFG**



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn732457157/phys\\_0020](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732457157/phys_0020)

DFG



**Studia : ad qvæ anteqvam sigillatim provocemus, ipsius confirmandi, qvæ gravi sine dubio fulcitur consilio, liceat, comparationem cum statu Nebucadnezaris à B. Meis- inficetam, ejusdem verbis inserere : Philosophis, inqvit tibiæ, quoniam prima tradunt fundamenta, qvæ instar ti- tra; Medicis tribuitur venter, qvippe cuius curam pecu- s & brachia Jureconsulti obtinent, quia justitiam corde biis defendere; qvæ qvidem disciplina satis est egregia, is, quod promovet ac conservat, non tamen primatum ob- ram imitatur, quod infra auri præstantiam subsedit. San- put occupat, & tota aurea est, ob puritatem qvâ excellit, pollet, ob fulgorem quem emittit, ob soliditatem qvâ con- ularem, qvâ in movendis confortandisque animis opera- ter corporis membra, ut aurum inter metalla : sic The- reliquas principatum nacta est. Disputant ergo, primo & veritatis assertores Theologi. Habent hi præcipue sibi demandatum τὸ ἐλέγχειν τὰς ἀνιλέγοντας, ad Tit. c. dhabent, qvo periculosis hic est, tam errare, qvam errori**

Et hoc agendo vestigia Servatoris nostri utique seqvuntur Pharisæis & Sadducæis plus vice simplici in arenam de-

Stephanum protomartyrem cum Libertinis, Alexan- s hostibus acri disputatione contendisse, illisque ad silen- rales lapides objectos, objectionum loco tandem retu- is constat. Idem præstitere Apostoli. Qvos ergo o- sibi proponunt imitandos hodierni Ecclesiæ Doctores. Martini, de analysi formæ c. 5. p. 75. Si Theologus sis, tra illos te accingere debes, qui nomen Salvatoris nostri s, in aliquot, sive pluribus articulis à te dissident, sed ar- et contra omnes fidei hostes, qviq; tandem illi sint. Nul- lumanis in pietatem belua, nullus tam violens in fidem etiandus & excipiendus sit. Quod cum res ipsa clamat, libertis verbis id nobis imperat. - Pernecessarium est in rebus fidei disputare. Uti autem lusorius prius suis pugnandum, sic disquisitionibus Academicis, quasi ad severiorem pugnam cum adversariis, calamo, & voce studiosi præparantur, multoq; rectius simul, rerum sa- uujus gymnasmatis beneficio imbuuntur. Disputant

B 2

Jure